# ORATIO

## A P. GAUDENTIO PATRIGNANI

IN COENOBIO ARACOELITANO THEOLOGIAE LECTORE GENERALI,
ET IN COLLEGIO URBANO DE PROPAGANDA FIDE
PHILOSOPHIAE PROFESSORE

*HABITA*

IN AEDE CAPITOLINA B. V. MARIAE

*V. KALENDAS JUNII AN. MDCCXCII.*

QUO DIE SOLEMNES AGEBANTUR GRATES

*PRO ELECTIONE*

## GENERALIUM MODERATORUM

TOTIUS ORDINIS MINORUM
S. P. FRANCISCI.

ROMAE MDCCXCII.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

# JOSEPHO NICOLAO AZARAE

INSIGNIS HISPANICI ORDINIS CAROLI III. EQUITI STIPENDIARIO, CATHOLICO REGI A GRAVIORIBUS CONSILIIS RES EXTERAS SPECTANTIBUS, EJUSQUE APUD SANCTAM SEDEM SUMMA CUM POTESTATE ORATORI

UNIVERSUS MINORUM ORDO
*FELICITATEM.*

S*Ingularis illa Tua, ac nemini non perspecta humanitas,* EQUES AMPLISSIME, *qua Universum Minorum Ordinem omni tempore complexus es, etsi antehac postulare*

 *vide-*

Digitized by Google

*videbatur, ut suam ipse erga Te obſervantiam aliqua ſignificatione teſtaretur; nova hac tamen praeſtantiſſimi beneficii acceſſione, ex quo tantam nuper hauſit laetitiam, & de quo ejuſdem Ordinis Minorum Annales aeternum loquentur, effecit, ut modo ille ab omni prorſus publici in Te officii genere ſibi diutius temperandum non eſſe, optimo meritoque jure perſuaſum haberet. Quod enim, ſervato Jure, & Concordiae vinculo, ſpectatiſſimos Viros omni Virtutum laude conſpicuos, pacis, pietatis, literarum cultores, ac vindices eximios, Joachinum Company in Summum Praeſidem, & Bonaventuram a Placentia in Commiſſarium Ciſmontanae Familiae Generalem, ſibi datos Ordo Seraphicus gratuletur, potiſſimum tribuendum Tibi,*

Digitized by Google

*bi, qui maxima, qua polles, auctoritate, eodem Supremos Moderatores uno ab hinc ferme anno exoptante, nihil praetermisisti apud Eminentissimum Cardinalem Braschium Honestium Ordinis Patronum amantissimum, tum pientissimum* CAROLUM IV. *Hispaniarum Regem, ac* PIUM VI. *Pontificem Maximum, ut tanta res ex omnium votis feliciter eveniret. Quapropter pro his, aliisque erga se benefactis, Orationem hanc, quae faustis Comitiorum diebus gratulationis ergo publice habita est, amplissimo Nomini Tuo libentissimis animis inscribit, quo posteritati extet perpetuum ejus adversus Te observantiae testimonium. Superest, ut munus hoc exiguum, Tuaque minus Amplitudine, ea, qua praeditus es, humanitate*

*velis*

*velis excipere ; quod & novi beneficii instar erit , & non obscurum erga Te totius Ordinis Minorum grati animi Monumentum .*

ORA-

Digitized by Google

# ORATIO.

QUantam nudius tertius laetitiam, quantamque exultationem Nobis omnibus, & Universo Ordini Nostro per finitimas non solum Regiones, sed ubique gentium, usque ad ultimas Terrarum partes diffuso, totique huic amplissimae Civitati adtulerit, haec Sacra, quibus Deo solemnes agimus grates, declarare vix, ac ne vix quidem possunt; tantum abest, ut ego non modo augere, aut ornare oratione, sed ne complecti quidem, aut consequi valeam. Nihil enim utilius accidere unquam Nobis potuit, nihil honorificentius, jucundius nihil, quam quod erat optandum Familiae Nostrae, & ab omnium bo-

Digitized by Google

bonorum Auctore Deo votis omnibus flagitandum, id singulari ejusdem Dei beneficio, summo consensu Collegii Vestri, judicio gravissimo MAGNI, & Immortalis PII VI. Summi Pontificis, oblatum hoc tempore gratulamur. Quo sane factum est, ut si integro jam fere elapso anno amantissimum amisimus Patrem, eum nunc haud amisisse videamur; imo plane in Reverendissimo Patre Joachimo Company in ejus locum suffecto, tum etiam in Reverendissimo Patre Bonaventura a Placentia Generali Citramontanae Familiae Commissario electo, Ille renovatus adhuc carior, dulcior, amabilior adhuc videtur, perinde ac si amissus non fuisset. Spes autem rerum Nostrarum sub tantis Moderatoribus augendarum, Deus immortalis, dici vix potest, quid caritatis, quid voluptatis habet? Quare magnopere verendum est, ne tanti beneficii magnitudinem minuere dicendo videar, qui parum ingenio, & eloquentia possum, dum tamen ad dicendum & mea, & communis me commovet exultatio, & Vestrum, & universa expectatio compellit. Dicam igitur; sed ea tantummodo, quibus par sit mei tenuissima dicendi copia: ex quibus tamen & maximi, de quo gaudemus, be-

beneficii amplitudinem, & Supremo, quod illud contulit, Numini immortales agendi gratias debitum intelligere possitis. Quod sane abunde satis consecuturum confido, quoties duo haec Vestrum oculis subjicere, quantum in me erit, curavero, & divinae nimirum Providentiae rationes plane mirabiles, quibus tam grande Nobis collatum est munus; & summae fiduciae argumenta minime dubia, quibus in spem maximae felicitatis ex tam prospero, tamque fauſto eventu exultantes erigimur. Unum interim a Vobis summopere contendo, Auditores Ornatissimi; ut incultam, scilicet, atque rudem dicendi rationem benigne feratis: nec enim in tanta temporis angustia, nimia exultatione, aliisque laboribus pene confectus, praestare potero, ut digna re, digna loco, auribus Vestris oratio digna contingat.

Atque ut ad illud, quod est primum hujus caussae caput, me statim conferam, Vestrum profecto nemini latere arbitror, eam esse impiorum consuetudinem, ut quos in hac rerum Universitate accidere animadvertunt, tam varios, tam mobiles, tamque inopinatos, qui inanem hominum prudentiam interturbant, eventus,

quorum quidem caussas, caussarumque nexus omnino ignorant, temerariae Fortunae libidini acceptos audacter referant. Eam, nimirum, Supremi Numinis Providentiam fateri detrectant, qua Illud curam de omnibus continenter gerit, media omnibus disponit suaviter, omnium fines sapienter praeordinat; quamque eo mirabiliorem praedicemus est opus, quo ab hominum opinione remotiori consilio, quod ab aeterno decreverat, statis temporibus executione consequitur. Quam quidem Providentiam sicuti fortasse apertius nunquam se patefieri videmus, quam ubi ea, quibus saepe afficimur, mala in bonum vertuntur, atque tanto feliciores reddimur, quanto fueramus miseriores; ita in felici, faustoque eventu mirabiliter enitere, quem Nobis modo accidisse, summa omnium Nostrum exultatione gratulamur, extra omnem dubitationis aleam positum est. Elapsus namque jam pene est annus ab infelicissimo illo die, quo cum dulcissimi Parentis obitu non modo felicitatis, sed animorum Nostrorum miserrimum funus, ac fatale adeo conjunctum est, ut, quantum ad Societatem Nostram moeroris, ac publicae calamitatis pervenerit, Vos ipsi intelligere possitis, &

quae

Digitized by Google

quae Nostrum hactenus inde coorta jactatio est, nisi mea me fallit opinio, manifeste ostendat. Nullum quippe voluptati superesse locum in tanto Familiae Nostrae squallore, ac communi bonorum omnium luctu, Vos ipsi statuetis, si tantum, illudque gravissimum Ordini Nostro illatum detrimentum perpendere ea, qua par est, diligentia velitis, dum Reverendissimum Paschalem a Varisio, Summum Pamiliae Nostrae Praesidem, & ornamentum, magnum Literariae, & Christianae Reipublicae decus, Virum doctrinae, & probitatis fama celebratissimum, amisimus diebus istis, quibus ad ineundos pro alterius Summi Praesidis in ejus locum suffectione Ordinis Nostri Generales Conventus, qui diuturna temporum acerbitate intermissi sunt, nulla via, ac ratio patere omnino videtur.

Tacitus mitto illa paullo vetustiora sed adhuc vigentia Reipublicae Christianae in Regularibus Ordinibus hinc, atque inde in partes discerptis vulnera. Haec nova, & recentia quam acerba, quam luctuosa, quam iis lethifera sint, videtis. Pluribus jam annis Europa in armis, factionibusque fere universa, non usitato, non humano more tumultuatur. Modo laeti nun-

tii, modo tristes afferuntur; recreamur, angimur; erigimur, timemus; aspicimus pacem se longe ostentantem, nec unquam tenemus. Ipsa Christi Sponsa, Sancta Mater Ecclesia, Catholica, Romana, antiquis, nec unquam satis deplorandis jacturis, recentem totius Galliarum Regni accensere cogitur, in quo *Civitas plena populo, Domina gentium, & Princeps Provinciarum* cum esset; nunc, proh dolor! *sedet sola: facta est quasi vidua, & sub tributo: plorans ploravit in nocte, & lacrymae ejus in maxillis ejus, nec est, qui consoletur eam*: sunt enim *Sacerdotes ejus gementes, Virgines ejus squallidae, & ipsa* propterea *oppressa amaritudine*. Jam vero in hac perturbatione rerum, in tanta acerbitate temporum, quo consilio, qua arte, quibus subsidiis, hujus amplissimae Familiae, quae protenditur *a mari*, ut cum Psalmista loquar, *usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum*, vastitatem, ne immensitatem dicam, in unum cogere fas erit, ut ad Supremi ejus Moderatoris electionem deveniatur, cujus sub rectione, revocatis pristinis moribus, antiquisque Patrum Nostrorum institutis, publicum clarissimi Ordinis decus, ac tranquillitas privata, cujuscumque Vestrum commoda, ac singulorum fortunae, quae in illis continem

tinentur, iisdem sancte custoditis, in tuto collocentur, atque in commune compendium perpetuo vigeant, & augeantur.

Neque non indictis, collectisque Comitiis Supremus totius Ordinis Praeses eligi posse videbatur. Quum enim secundum Leonis Papae X. Constitutionem, *Unionis* vulgo nuncupatam, ex Ultramontana Familia judicio aequissimo Reverendissimorum Patrum Discretorii Generalis, quos ad normam Decreti Benedicti XIV., Immortalis PIUS VI. Pontifex Maximus (quem cum nomino, satis videor commendasse), Ordinis regimini interim suffecit, esset assumendus; qui fieri potuit, ut sine utriusque Familiae communi consensu is praeficeretur, qui nedum tanto muneri aptus, sed omnium ordinum, generis, loci, ac fortunae hominibus foret acceptus? Quid vero si Primores Suffragantes jam praemortui viginti tribus plus minus annis, quibus jam vita functus Reverendissimus Paschalis praefuit, vel ipsa Comitia tum cogenda, tum coacta difficiliora reddidissent? Quid si majora adhuc detrimenta universus ipse Seraphicus Ordo expectasset sine Patre, Rectore, Judice tam diuturno temporis spatio, quod in Comitia & indicenda, & cogenda necessario fuisset impendendum?

Ve-

Digitized by Google

Verum *mirabilia* prorsus, o Deus, *opera tua*, & *anima* Nostra *cognoscit nimis*! Id vero sane mirabilius, quod in tanta magnitudine periculi, in tanto totius Familiae Nostrae discrimine, atque jactura, humilia respicere, cum parvulisque deliciari Divina non dedignatur Omnipotentia. Manus eadem, quae tot infaustos, infelicesque eventus, totque contrarios in Nos congessit casus, effecit, ut ipsi Nobis ex voto cederent, & opinione ipsa profecto citius, in electione, nimirum, Reverendissimi Patris Joachimi Company in Supremum totius Ordinis Nostri Praesidem, tum Reverendissimi Patris Bonaventurae a Placentia in Commissarium hujus Citramontanae Familiae Nostrae Generalem; nec difficilius illi fuit, Nos iis deprimere, quam ista nos attollere. Et sane quemadmodum Deus Josephum de foedo carcere eduxit, ut ipsum ad sublimiorem gloriae verticem efferret; ita nunc egit, ut Nos in eo fidentes tandem aliquando sublevaret. Vere Deus stat pro Servis suis. Videant igitur deliri homines de variis, multisque casibus, qui bonis persaepe accidere solent, judicium ferentes, perinde ac de Josephi adversitatibus tunc latum fuerat; videant, inquam, quomodo *diligentibus Deum*

*om-*

Digitized by Google

*omnia cooperantur in bonum*. Videant inopes, videant humiles, videant Minores, & laetentur, quia respexit Dominus humilitatem Servorum suorum, fecitque Nobiscum magna, qui potens est: imo plane magnificavit in Nobis potentiam brachii sui, vel in ipsa hujus quidem electionis ratione.

Vixque enim e vivis erepto Patre Paschali a Varisio, orba Familia Nostra, ministerio Patrum, a quorum arbitrio, & sapientia pendent graviora Ordinis negotia, & rectio universa, unanimi plane consensu Patrem Joachimum Company in Praesidem Supremum, ipsumque Patrem Bonaventuram in Commissarium Generalem, eligendos existimavit, exoptavitque: sed praeconcepta summa Comitiorum difficultate, quid praestari poterat, nisi media huic consequendo fini aptiora excogitare, parare, adhibere? Excogitarunt autem Sapientissimi, Prudentissimique Patres felici, faustoque eventu, pararunt, adhibuerunt. Notum enim, probatumque in Francisci Patris Familiam zelum excitarunt Reverendissimi Patris Balthassaris de Quiñones Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, atque etiam ornatissimi, & rebus omnibus præcellen-

tis-

Digitized by Google

tissimi Equitis Josephi Nicolai Azarae CAROLI Regis ad Pontificem Maximum Oratoris; tum fidem implorarunt Eminentissimi Principis Romualdi Braschii Honestii, Sanctissimi Domini Nostri PII VI. Sororis Filii, tamquam legitimi Tutoris, ac Patroni amplissimi, cujus eximiae indoli, morum suavitati, virtutum praestantiae, buibus non magis exterorum, quam hujusce Civitatis admiratio est, & amor, totum plane fidendum erat; tum denique ipsius Invictissimi CAROLI IV. Hispaniarum Regis, cujus animi erga Nos tanta declarata est voluntas, patrocinium sibi expostularunt, ut adhibitis attestationibus, officiis, precibus, PIUS VI. Pontifex Maximus Patrum vota, ac totius Familiae Nostrae desideria implere pro summa Clementia Sua non dedignaretur. Quid vero MAGNUS PIUS Dominus, Parens, Salus Nostrae vitae, fortunae, memoriae, nominis?

Ere sane, & usu Nostro est, Pater Beatissime, quod tu ad haec difficillima tempora reservatus, Moderator totius Ecclesiae Supremus, & Sacrorum Antistes Maximus, sustineres Divini Pontificatus decus, & amplitudinem, atque in Petri Cathedra, imo Petrus ipse in propria Sede vive-

viveret, & praeesset. Inde enim factum est, ut Sibi Familia potissimum Nostra gratuletur in dies, quae longe plura ex Te, ac majora accepit pignora benevolentiae, quam ut vereri potuerit, ne Tibi ex altissimo Dignitatis fastigio, tamquam a summa specula, humana omnia despicienti, ipsa propter nominis, ac rerum suarum tenuitatem, atque inopiam ex oculis evanesceret. Qui interim ad juvandos, & ornandos mortales sponte incitaris, eumque habes Animum nihil, nisi de Deo, & utilitate publica, cogitantem, Te in tanta rerum suarum calamitate supplex orat ex universo, qua late patet, Orbe Terrarum Francisci Patris Ordo, ut qui meliora omnia, Te Supremum Clavum tenente, sperare incepit, nunc parem Ei, quem amisimus, Rectorem nutu etiam, arbitrio, & voluntate Tua Sibi datum gratuletur.

Neque vero spem Nostram fefellit eventus. Quandoquidem MAGNUS PIUS inter tot Christianae Reipublicae negotia, quibus in dies distenditur, statim de hac re agendum judicat, Familiamque Nostram, qua solet, Clementia adspicere dignatus, Patrum vota, CAROLI Regis officia, praestantissimorum Virorum desideria be-



Digitized by Google

nigne excipit, universam Ordinis laetitiam creat, ejusque bono, ac utilitati prospicit, datis Apostolicis litteris, quibus ad Supremam Familiae Nostrae Praefecturam Reverendissimum Patrem Joachimum Company electum Apostolica Auctoritate, atque gravissimo judicio, declarat, statuit, decernit. Neque tamen eo uno contentus fuit Immortalis PIUS, virtute, gloria, rebus gestis, omnium saeculorum, omnium gentium, omnis memoriae utique Princeps; sed iisdem quoque litteris Reverendissimi Patris Bonaventurae a Placentia in Commissarium Citramontanae Familiae Generalem, aliorumque Patrum in Procuratores, & Definitores a Majorum Statutis in jus, ac partem totius Ordinis rectionis vocatos, electionem complectitur: atque tertio jam ab hinc die Divini Spiritus in Apostolos ignitarum linguarum forma delapsi Solemnitatum Pervigilio, Nostrarum Legum instituta secutus, per spectatissimum Virum Romualdum Cardinalem, cujus auctoritate, patrocinio, copiis usque adeo sumus ita sustentati, ut Nostrae calamitatis non adjutor solum, verum etiam comes, si ita loqui fas est, videretur, insigni pompa, atque ritu, quae secum Ipse divina mente decrevit, in

hoc

Digitized by Google

hoc venerabili Aracoelitano Coenobio, gratulantibus Nobis, publicari curavit, Nostrumque gaudium complevit, laetitiam, exultationem.

Quapropter quae memoria, quae vis ingenii, quae magnitudo observantiæ Pontificis Maximi tot, tantisque beneficiis respondere poterit? qui optatissimum Patrem, qui Rectorem, qui dignitatem, qui fortunas, qui amplissimam Rempublicam, qui denique Nosmetipsos Nobis beneficentia tanta restituit, ac impertitus est? Quae piissimo CAROLO Regi par erit gratiarum actio? qui Nobis afflictis, & jacentibus Regiam fidem dexteramque porrexit, atque tanta Clementia in Nos, studio in Familiam Nostram fuit, ut excogitaret, quemadmodum calamitatem Nostram non modo levaret, sed etiam honestaret? Quibus officiis Romualdi Cardinalis beneficia remunerabimur? cujus omnis actio, ratio, cogitatio nil aliud est, nisi constans, perpetua, fortis, invicta defensio incolumitatis Nostrae? Quas denique caeteris da nobis in hac tanta re optime meritis agemus gratias, quibus satis dignas agere nullo modo possumus?

At vero quis in explicata mox rerum serie Dei Optimi Maximi, qui dextera sua universum

Orbem terrarum regit, munera distribuit, gradus ordinat, fortunas dividit, admirabiles plane rationes non dignoscit, & consilia ? Cui Patrum consensio, Ordinis vota, praestantissimorum Virorum officia, invictissimi CAROLI Regis favor, MAGNI PII dignitatio in tanto rerum discrimine tribuenda, ni Deo, qui *facit utraque unum, qui finxit singillatim corda eorum*, ut in humanis Fratres sacro foedere necteret, qui in Altissimis aeternus Patris cum Filio nexus est; qui gratias, qui Angelos, qui omnipotentiam pro Servis suis mature adhibet, in singulos dies prohibiturus, ne pereant; quemque proinde in sola illorum cura dicerem occupari ?

Eja igitur videamus nunc, quod hujus caussae alterum caput est, summae fiduciae argumenta minime dubia, ni vere evidentia dicam, quibus in spem maxime felicitatis ex tam felici, faustoque eventu gestientes erigimur. Et quidem, Auditores praeclarissimi, si Joachimi amor, si humanitas, si doctrina, si pietas ejus, si gravitas, si constantia, si caetera, quae vix in aliis spectari, nedum requiri solent, considerentur, eum ad sacram Familiam Nostram, amplissimamque regendam, ac gubernandam, Nostrum communi bo-

Digitized by Google

bono idcirco fuisse factum , imo plane natum, dicamus oportet . Date hoc mihi , Auditores, ut ea consulto praeteream, quibus Joachimi ingenium doctrinamque mirabilem summis laudibus extollere possem, ac primorum quodammodo temporum Viris sapientibus exaequare . De his enim una, eademque plaudente loquuntur voce testes locupletissimi, multiplices in re tum Philosophica, quum Thologica, quibus instituendis plures annos operam dederat, Discipuli; aeternumque loquitur Vita Beati Nicolai Factoris ab ipso vernaculo ejus gentis sermone ita accurate, sententiose, pie exarata , ut legentium animos in admirationem rapiat simul & pietatem. Quid vero commemorem comitatem ejus , beneficentiam , liberalitatem erga omnes ? Quid ejus animi moderationem, modestiam in prosperis, constantiam, fortitudinem in adversis ? Quid reliquas ejus virtutes, quod pluris faciendum est, Viro Deo sacro dignas, cum tanta morum suavitate conjunctas, quarum omnium concursu facto, quod de Placilla dixerat Nissenus, *humanae naturae miraculum incredibile factum est* ? Nollem , Auditores , nollem , dum haec auditis, aut meo gestientis filii nimio amori , & gaudio , aut assentationis vitio , a quo plu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

plurimum quidem absum, adscribatis. Cum Trajani Laudatore dicam: *tantum a specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest a necessitate.*

Agite jam, sic Vos superi ament, quanta esse Joachimum religione, existimatis, in quo Supremi Numinis praestans illud, & plane admirandum munus agnoverunt, Familiae Nostrae Rectores sanctissimi, ut in gravissimis quibusque negotiis summam in eo spem collocarint? Testes voco insignes tum Aragoniae, tum Catalauniae Provincias, in quibus splendidas obivit legationes, & pondus praeter communem omnium expectationem sustinuit non mediocribus consiliis. Ipsam suam Valentinam Edetanorum Provinciam testem appello, ubi nomen suum clarum, & illustre posteritati tradidit, quum praecipue ejusdem Provincialis Praesidis munere functus est. Atque tunc qua fidei integritate se gesserit, quantum Familiae sibi concreditae, ejusque rebus decoris attulerit, & ornamenti, indicare vix possem, at oratione complecti ne vix quidem. Inde vero Pontificio PII VI. diplomate in Definitorem Generalem assumptus, nil ejus consilio susceptum, quod non felix, faustumque Nobis contingeret. Gordii nodi non semel obje-

cti

Digitized by Google

cti sunt extricandi; ut officium suum impleret, non eluderet, explicavit consilio, quos alius vix ferro secuisset: omnibus omnia factus omnia complectitur, omnibusque magna cum laude satisfacit.

Nunc vero mecum unanimi voce conclamate, Auditores, Nostrum communi bono, ac felicitati, eum a Deo Nobis esse oblatum, tantaque cum Familiae Nostrae utilitate, & incremento concessum, ut ipsa beneficium sentiens eximium, se benemerenti Patri gratissimam, honores honoribus, munera rependendo muneribus, probare contenderet; quam sicuti Joachimus suae virtutis splendore impleverat, ipsa Patrem suorum honorum praestantia ornatisssime cumularet. Hinc conspirantibus cunctis ex universa Hispania suffragiis, loco Reverendissimi Patris Antonii Josephi Salinas ad Episcopatum Dertusanum assumpti, illius Familiae Commissarius Generalis summa omnium gratulatione salutatur. Virtus diu exercita, multumque probata, post emensos omni cum laude gradus fere singulos, eum tandem obtinuit, quem tenebat maximum, & amplissimum; ad quem non gratia, non quaesito favore, non ambitu doloso, sed solo virtutis merito

Digitized by Google

rito fuisse vocatum, nemo est, qui jure dubitare possit.

Eo autem in tanta dignitate constituto, o utinam videre nobis licuisset tot gentium Hispaniae frequentiam pene incredibilem, oppletas undique vias, & compita, alacrem hinc, atque inde Senatum, equestrem Ordinem, populum universum, ubique par gaudium, paremque clamorem, eumque parvulos noscere, ostentare juvenes, mirari senes, quin aetas ulla, aut sexus retardaret, quominus oculos insolito spectaculo impleret. Quantum vero creverit Procerum, atque Magnatum, quanta ex ejus adventu in Matritensem Urbem laetitia praeconcepta fuerit, Te nunc, invictissime Hispaniarum Rex (quem aeternum vivere faxit Deus), Te, inquam, appello, qui tanta honoris, ac Majestatis magnitudine, tanta Clementiae significatione Joachimum excipere dignatus es, ut gratum Tibi, piissime, & potentissime Rex, gratum denique Urbibus, & Regnis Tuis fuerit, illum honoribus augere, in quo tantam eloquentiae, & oris dignitatem vel ex ipso ejus adspectu, & sermone admirabare. Nimirum ea est optimi Patris indoles, ac natura, ut ubi se alicui dederit, in eo

sta-

Digitized by Google

statim admirationem commoveat, & benevolentiam.

Jam ea in amplissima Hispaniarum Familia privato veluti in Regno Thronum occupat: privata, & publica moderatur; jura edicit; facienda imperat, semper tamen exemplo suis Ipse legibus antea obtemperat. Se Patrem unicuique existimat, tanto caeteris major, quo melior; nunquam terrificos defigit in aliquem oculos, ut terreat; sed quam natura ori concessit majestatem amore temperans se parem omnibus probat, omnibus sui copiam facit, atque alienis se totum devovet curis, licet & sui beneficio satis abunde sufficiat. Quid hic plura commemorem? Amantissimi Patris, vigilantissimi Praesidis, integerrimi Judicis munia cumulatissime complet. Quod quidem non Vobis, Auditores, quibus compertissimum est, sed Posteritati universae comprobatum volo, ut Joachimum Nobis in Patrem, in Praesidem, in Judicem communi felicitati divinitus fuisse datum, sit persuasum. Patrisne est, filios nedum rei, sed & personae discrimine vindicare? Vindicavit. Praesidisne, sibi concreditorum hominum curis excubare? Excubavit. Judicisne, pacis securitatem populis



Digitized by Google

suis propria rectione comparare ? Comparavit. Vindicando amantissimus ; excubando vigilantissimus ; comparando integerrimus. Utrinque contemptor sui ; utrinque piissimus ; utrinque summis dignissimus honoribus. O hominem in terris prope divinum ! vere autem communi Nostrum bono, utilitatique divinitus concessum !

Atqui quam sibi gratulabatur universa Minorum Familia, quantamque de Joacbimi virtute, ac sapientia conceperat spem, quam late per universum ipsum Orbem ejusdem nominis fama, & gloria rerum gestarum pervagata fuerit ; quibus denique omnium votis optarent ad summum in Ordine dignitatis culmen evehere, tanta gravissimorum Virorum consensio, omnium laetitia tanta aperte id, palamque declarant. Qui enim fieri potuit, nisi sapientia illius, ni pietas, ni virtus cunctis esset perspecta, atque probata, ut ipsum tot, tantique Viri, moribus, indole, gentibus, coeloque diversi, in Supremam universi Ordinis Praefecturam cooptari vellent ? Una quidem omnium ubique vox erat, omniumque animis alte jam insederat cupiditas haec, & opinio, ut utilem rebus Nostris navarent operam, sub Joachimi nutibus, imperioque

uni-

Digitized by Google

universam Familiam esse reponendam.

Atque jam, Patres praeclarissimi, omnium votis annuentes, auctoritate PII VI. Summi Pontificis, in totius Ordinis Praefecturam eum cooptatum obtinuistis. Quid a tanto Viro nunc expectandum? Quid non expectandum, si coeptis insistet? imo plane, quod nemo in dubium vocare potest, si in bonam magis magisque frugem adolescet!? Quid etenim? An pertimescendum, ne in longe dissitis Hispaniensibus regionibus procul absens in Nostrum commodum sapientia, virtute, exemplo, monitis, legibus, conferre minime valeat? Quid ejus nihilominus absentia nocere unquam poterit? Nobis enim non solum Ipse, etsi disjunctus corpore, non minus tamen animo, quam consilio praesens continenter aderit; verum etiam vicinior, constitutus est Moderator, Reverendissimus Pater Bonaventura a Placentia, quem & Vestrum consensione, & decreto ejusdem MAGNI PII, cujus singularis prudentia, ac plane divina mens nec sine delectu, nec sine numine consulere hominum fortunae consuevit, in Citramontanae Familiae Nostrae Generalem Commissarium electum, ob probatas ejus virtutes, praeclarasque

 ani-

animi dotes in omnibus praesto peramanter futurum, sperare omnino cogimur.

Sane ea est hujusce spectatissimi Viri indoles, comitas, doctrina, ingenuitas, consilium, prudentia, pietas, virtus, ut de ipso nunquam tam magnifice quidquam dicere possem, quod ejus laudibus quodammodo foret comparandum. Quamquam nec temporis angustiae, nec ejus praesentia, nec probata ejusdem modestia plane sinunt, ut in his suis promeritis laudibus recensendis multum eloquar. Loquitur nihilominus insignis Civitas Placentina, quae sicuti ejus Generis veneratur dignitatem, ita praeclarissimum ingenium, virtutisque praestantiam admirata, se esse tanti Viri Matrem, merito sibi gratulatur. Loquitur Urbs Caesenas, quae, illo in sua Pontificia Universitate & Philosophiam, & Jus Canonicum usque adeo docente, labentes literas, ac pene jacentes, ejus studio, labore, doctrina, in se nunc excitatas demiratur. Loquitur universa utriusque Familiae Bononiensis Provincia, quae Reverendissimi Patris humanitatem, prudentiam, doctrinam, deque omnibus benemerendi voluntatem experta, vel a Paschalis obitu eum, qui illius loco praeficeretur, meritissi-

Digitized by Google

tissimum conclamabat. Quid plura? Multiplices ab eo typis editi libri loquuntur, qui eidem non vulgarium modo, sed maxime doctorum Virorum tot, tantosque promeriti sunt honores; imo plane ipsius PII VI. Summi Pontificis commendationem, qui dignum eum judicavit, ad quem perhumaniter scriberet: *Tibi de literis, deque Patria Nostra benemerito nunquam deerit Noſtra benevolentia*.

His autem quemadmodum Bonaventurae honorificentius nihil scribi potuit; ita quoque nihil plane verius. Quid enim dicam de Ratione instituendae adolescentiae ab octo nimirum annis ad septem & decem usque, quam italico sermone elegantissime conscriptam Caesenae typis Blasinianis in lucem emisit, quaeque statim Auctori suo *aures hominum*, ut Plinii verbis utar, *januamque famae patefecit*? Quanta namque ipsa commendatione digna sit, quantamque studiosae juventuti, totique Literariae Republicae utilitatem adferre valeat, amplissime ostendunt & unanime Eruditorum judicium, quod in Literariis Ephemeridibus, Romana scilicet, Florentina, caeterisque tunc per Italiam evulgatis, prodierat; & praestantissimorum Virorum, ipsiusque

Immormortalis PII VI. auctoritas, quorum propterea illi a Praeceptoribus in filiorum, Iste vero ab ipsomet doctissimo Auctore in Pronepotum institutione, felici plane exitu, eandem adhibendam jure meritoque statuerunt. Quid de Opere adversus praejudicia instituendi latino sermone Populares ad scientias, artesque, quod Venetiis ex Typographia Coletiana anno MDCCLXXVII. vernacule prodiit, quamvis supresso nomine, ab Ipso nihilominus, adhibita duorum Amicorum opera, exaratum? In eo namque tanta sermonis elegantia, tanta eruditionis copia, rationum efficacia tanta emicat, ut, quum una simul & legentium animos delectet, & ad scientias, artesque cito addiscendas perducat, praestantissimum Auctorem omne tulisse punctum, nemo, nisi meus me fallit animus, inficias iverit. Quid de ejus caeteris literariis laboribus, quorum alii alienorum operum synopsim exhibentes, deque iisdem ferentes judicium, in Eruditorum Italicis diariis passim leguntur; tum alii plurimi propugnandarum thesium lectissimas series, mirabili prorsus ratione elucubratas, complectentes, juventutis Ipsi concreditae exercendae caussa aliis, aliisque temporibus in lucem pro-

Digitized by Google

prodiere? Has inter praecipuum fortasse locum obtinet, quae vernaculo sermone conscripta, auspicante Eminentissimo Joanne Carolo Cardinali Bandio, Sanctissimi Domini Nostri PII VI. avunculo, aeternae memoriae Viro, anno MDCCLXXVI. in lucem edita est, atque ab oppugnatorum objectis publice vindicata. Ea namque in plura capita distributa, quorum sub singulis non dissoluta, uti fieri solet, sed continenti oratione, quae ad disputandum proponebantur, exhibens, tanto est pluris facienda, quanto a communi omnium ferme consuetudine remotior.

Neque vero illud silentio praetermittendum est, quod huc maxime spectat, Illum, scilicet, non in gravioribus tantum Disciplinis, quod plerique faciunt, acquievisse; sed ad ameniora quoque incumbentem studia, experimentis omnis generis, & praecipue electricitatis, quibus res physicas firmaret, operam dedisse. Qua de re ut plurima, & illustria dederit argumenta, illud tamen praecipua laude dignissimum arbitror, quod electricitatis ejusdem adjumento aegrotis plurimis, atque imprimis Equiti amplissimo Hieronymo Honestio, Sanctissimi Domini Nostri

PII

Digitized by Google

PII VI. leviro, pristinam valetudinem feliciter restituerit. Cujus quidem tantae rei, quum aeternum, atque insigne extet monumentum in Ephemeridibus Florentinis, quibus editae sunt, quas Ipse de eadem re conscripserat, epistolae; ejus propterea nomen aeternam famam sibi condidit, atque cum celebriorum Virorum, qui rem Electricam scriptis illustrarunt, Nolletii, Franklinii, Beccariae nominibus videtur ferme comparandum.

Sed quorsum haec disputo? Ut illud plane intelligatur, Reverendissimum Patrem Bonaventuram virtutum non minus, quam literarum omnium singulari commendatione cohonestandum. Quare quum ita Populorum felicitas cum sapientia conjuncta sit, ut altera alteram perpetuo sequatur; atque adeo tanta doctorum hominum consensione dicere Plato potuerit, tum beatas fore Respublicas, *quum aut Philosophi regnant, aut Reges philosophantur*; quod, nimirum, praestant dubio procul, ut bene, feliciterque vivant populares sui, & publica eorum res augescat in dies, atque floreat, & apud exteros (quod commodi publici plurimum interest) per omnium ora celebretur; profecto minime dubitandum esse,

Digitized by Google

esse, videtis, quin Hic maximus ille sit, qui Nobis Italis restituat rem, ac plane augeat.

Jam vero nemini nunc mirum esse debet, quod ejus doctrinae, & comitatis vare singularis fama compulsi, ut ita dicam, non Viri Patritii, ipsique doctores Caesenates modo, quorum tanta erat apud Ipsum frequentia, ejusdem consuetudinem studerent; sed exterarum quoque gentium docti, qui cum Caesenam peterent, Illum adire, audire, & alloqui, exoptarent; atque cum Italiae Urbes vel Coetus Nostri, vel Studiorum gratia percurreret, magnis aestimationis indiciis certatim ad se venientem exciperent. Quanti vero fuerit apud PII VI. Sororis Filios, praestantissimum Urbis ornamentum, decus, & praesidium, ipsumque Summum Pontificem, virtutis, ac meritorum judicem aequissimum, & ex illorum jugiter probata in Bonaventuram voluntate, & ex Istius non solum supra memorata epistola satis abunde colligitur, sed ex aliis pluribus humanissimis, atque honorificentissimis ab eodem Pontifice Maximo ad eum identidem datis. Nam cum MAGNUS PIUS egregias ejus dotes bene perspectas haberet, ejusdemque opera, ac studio usus esset in

Pro-

Digitized by Google

Pronepotum literaria institutione, idcirco benevolentiam, qua eum complectebatur, per literas interdum ad ipsum missas significandam judicavit.

Ubi autem primum Romam se contulit Bonaventura, atque in ejusdem Supremi Ecclesiae Pastoris conspectum ut venit, tanto amore, tantaque liberalitate exceptus est, ut omnes ei, quod in Urbe usuvenit, amplissima quaeque ominarentur. Et sane tunc temporis jacta sunt hujusce, in cujus spem jure, meritoque gestientes erigimur, felicitatis fundamenta. Quum enim Immortalis PIUS Apostolico Diplomate de se benemerentem Virum tunc ad Exprocuratoris Generalis gradum evexerit; inde factum est, ut proxime elapso anno Romam iterum se conferens, ibique in Definitorem Generalem ex lege suffectus, vita postmodum functo Reverendissimo Patre Paschali a Varisio, & Ipse de Dicretorio Generali unus esset, Vobiscum, praestantissimi Patres, in totius Francisci Patris Familiae rectionem interim vocatus, donec alterius in locum demortui fieret cooptatio. Eo autem in munere quantum valuerit, Vos ipsos testes appello, Patres ornatissimi, qui anno jam fere inte-

integro singularem ejus morum suavitatem, prudentiam, integritatem, constantiam, dexteritatem, doctrinam, beneficentiam, religionem adeo admirati estis, ut Citramontanae Familiae Nostrae nihil gratius, nihil honorificentius, commodius nihil duxeritis, quam tantae laudis Viro illius administrationem, summamque rerum demandare.

Quae cum ita sint, quos igitur, quaeso, non progressus tantos penes Parentes facturi estis? Quantum literae florebunt, & literarum Viri tantis sub sapientiae cultoribus, & Patronis? Quantum vigebit pietas, atque religio, tantis, tamque piis exemplo suo praeuntibus Moderatoribus? Quae Nobis commoda, quas utilitates non comparabunt, ut jam eos diceretis totos fuisse in rebus Nostris obeundis, augendis, perficiendis? Sperate Patres, expectate Filii, confidite Fratres, atque omnes una simul laetamini, quod tales, tantosque universi Coetus Nostri Rectores obtinuimus, qui omnium felicitati praesto erunt opera, sicuti omnibus praestiterunt merito, omnibusque eminent dignitate.

Exulta igitur inclita Francisci Patris Familia, plaude per universum, qua late patet, Orbem

Mi-

Digitized by Google

Minorum Ordo, quia fecit Nobiscum Deus misericotdiam suam; & quo majus est, quod nunc a summa Dei bonitate munus accepimus, eo Ipsi majores age gratiarum actiones.

FINIS.

*IMPRIMATUR.*

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*F. Xav. Passeri Episc. Lariss. Vicesg.*

*IMPRIMATUR,*

Fr. Thomas Vincentius Pani Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magister.

Digitized by Google